

IOANNIS
BARCLAI
PIETAS.

*SIVE PVBLICAE PRO REGIBVS,
AC PRINCIPIBVS, ET PRIVATAE PRO
Guilielmo Barclaio Parente Vindicia.*

Aduersus Roberti S. R. E. Cardinalis Bellarmini
Tractatum, De Potestate Summi Pontificis
in rebus Temporalibus.



PARISIIS,
Ex Typis P. METTAYER Typographi &
Bibliopolæ Regij.

M. DCXII.



LECTORI BENEVOLO

IOANNES BARCLAIUS.

S.



AEQUIOREM te habeam.
Lector, in hoc opere aestimando,
quod non praeceps ambitio, non
ira, aut odium, sed iusti officij ne-
cessitas mihi admonuit. Vtinam si-
lere tamliceret, quàm inuidiosum
est loqui! Nam in magnos hostes incidimus, & plus
astu grassantes, quàm virtute. Hi nimirum pote-
statem Pontificis laboriosis scriptis asserunt: hac
deinde scripta commendant pietatis nomine, fa-
ctionibus, dignitate authorum. Mox ubi sentiunt
in contrarium stilos aptari, quietis simulatores, &
conuersi ad insidias, negant esse fas de ea re nunc
agi: inutilem questionem in pacatis modò rebus;
Pontificem in altâ cum Regibus pace. Et hac illi
audaciùs, quòd aliquot Optimatum prudentia vi-



1

IOANNIS BARCLAI PIETAS,
SIVE PVBLICAE PRO REGIBVS AC PRINCI-
pibus, & priuata pro Guil. Barclaio Parente
Vindicia.

Aduersus Roberti S. R. E. Card. Bellarmini Tra-
ctatum, De Potestate Summi Pontificis
in rebus temporalibus.

EXAMEN PRÆFATIONIS
Rob. Bellarmini.

LIBRO tuo, Amplissime Cardinalis, præ-
misisti Prolegomena; aliam præfationem
Prolegomenis; quæ omnia damus Lecto-
ribus; ne aut ille credere, aut tu iactare
possis, à nobis aliquid in tam seria qua-
stione omissum. Sic igitur præfationem
exorsus es.

QVI librum Guilielmi Barclaij de potestate Papa nuper emisit in
lucem, neque nomen suum, neque Typographi, ac ne loci quidem
ubi liber excusus sit, prodere ausus est. Quamuis enim in quibusdam
codicibus editus dicatur is liber Musiponti: id tamen confictum fuisse,
exploratum habeo. Timuit videlicet, nec sine causa, pœnam aut virupe-
rationem, non premium aut laudem expectauit. Nomen tantum au-
thoris, quod ipse auctor, si viueret, libenter fortasse texisset, libere de-
texit; quòd sciret cum ad Indicem supremum auocatum, & raptum ni-
hil negotij cum mortalibus iam habere. Hac sanè non boni operis argu-